

2

PETRI
FONTIDONII
SEGOVIENSIS,
DOCTORIS THEOLOGI,

PRO SACRO ET OECUMENICO
Concilio Tridentino aduersus Ioannem Fab-
ricium Montanum ad GERMANOS

ORATIO.

*Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sa-
piens esse uideatur. Prouerb. cap. 26.*



VENETIIS ex officina Stellæ Iordani Zileti.
M D L X I I I.

Jo: dephini

^{M O} ILLVST. AC REVER. D.
^{M O} D. PETRO GONZALEZ
A' M E N D O Z A,
EPISCOPO SALMANTINO.

Petrus Fontidonius S. P. D.



O' iam progressa est hæretico-
rum huius nostri sæculi infeliz-
cissimi licentia, antistes illust.
ut, quod regius uates de impijs
& sceleratis hominibus dicebat,
in cælum os suum posuisse uide-
antur. etenim non contenti in doctissimos homines,
in antiquos patres, in ecclesiæ pastores & sanctissis-
mos Pontifices maledicta contulisse; in sacrum, &
œcumenicum concilium, quod sanandi ecclesiæ uulne-
ra, & illorum salutis studio coactum est, (ò singu-
larem audaciam & impudentiam) omnia nunc conuis-
ciorum genera conuerterunt, ut mihi quidem furiosi
isti homines persimiles iam esse uideantur ijs, qui
phrenesi laborant, qui medicum ipsum, de illorum sa-
lute & incolumitate sollicitum, & cupientem eo-
rum lethali morbo medicamentum adhibere, non modò
ipsi iniurijs incessere, sputis fœdare, sed uiolentis
& furiosis manibus adoriri et inuadere consueuerint:



PETRI FONTIDONII
DOCTORIS THEOLOGI

pro sacro, & œcumenico Concilio Trid.
aduersus Io. Fabricium Montanum

AD GERMANOS Oratio.

Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse uideatur. Prouerb. cap. 26.



Et si ad asserendam sacrosancti concilij Tridentini auctoritatem, & ad insanam Ioannis Fabricij Montani maledicendi libidinem comprimendam, frustra fortasse hic à nobis labor susceptus esse uideatur, cum & concilij auctoritas summa Spiritus sancti præsentia, atque patrocinio, contra sceleratorum hominum au-

daciam, recta satis atque munita sit, & Fabricij improbissima oratio, omnium sit bonorum uirorum iudicio, opiniononeque damnata, quam nemo est qui legat, qui non miretur, & monstri simile ducat, repertum fuisse hominem, qui id fuerit aggressus, quod uel demonis ipsius fugisset, & reformidasset audacia: sed quoniã ad uos, ò uiri Germani, admonendos oblata hæc occasio aptissima uisa est; nõ tam quidem ut homini scelerato, & improbo respondeam, (quæ omnes extremo potius supplicio, quàm ulla responsione di-